

JOHN BARCLAY

Euphormionis Lusinini Satyricon

C L A V I S

**Nomina ignota passim in Euphormione
occurrentia referans & exponens.**

- A** *Cignii, five Acigniani, Iesuitæ.*
Adriana, —
Egorus, Comes Egmondanus, seu Hornanus, Bru-
xellis decollatus.
Alpis, —
Alexandria, Barleduc Lotharingæ, seu Galliz,
Albagus, Albanus, seu Dux de Alba.
Ambrax, —
Amphirans, Regis Angliæ Secretarius.
Anemon, Monsieur de Bonville, qui legatos recipit.
Aquilinus, Rudolphus Imperator.
Archepus, forte est Brandeburgicus.
Arcte, —
Argyrestatus, Ambrosius Spinola, propter sumptus
belli nimios.
- B** *Aplius, Iesuitarum fautor, Forte Willeron.*
Basilium, Aurelia; five potius Lutetia Parisio-
rum, quod ibi sedes Regia. Atquehinc
Basiliani, Parisienses, vel Aurelianenses.
Boethia, Germania.
Brutus, —
- C** *Alion, Dux Lotharingæ Guisus.*
Casua, uxor Comitis de Moror, deliciæ seu
concupina Regis; Idem Hollandia, à caseis.
Catharinus, Puritanus, Minister quidem Sectæ Pu-
ritanæ in Anglia.
Charidæus, Rhichardotus; Præses Consilii apud
Albertum Austriacum, seu Consilii Regii Se-
natus in Belgio cujus precibus & suadela Bata-
vi potissimum permoti Inducias duo decennal-
les pepigere.
Chryant, —
Cesar, —
Cleandrius, Britanniz Rex.

Argenis

T A B U L A
NOMINUM FICTORUM
I N
A R G E N I D E.

| | |
|--|---|
| A <i>Cegoras</i> . Ginuillæ princeps. | <i>Horti Regina Mauritania</i> . Vigna di Madama in Roma. |
| <i>Anaximander</i> . Pontan. Marchio. | <i>Hyanisbe</i> . Elizabetha Angliæ Regina. |
| <i>Aneroëstus</i> . Clemens VIII. Pontifex. | <i>Hyperephanii</i> . Calvinistæ. |
| <i>Antenorius</i> . Querengus. | <i>Ibburanes</i> . Barberinus, Urbanus VIII. Papa. |
| <i>Aquilus</i> . Imperator. | <i>Liphippus</i> . Rex Hispaniarum. |
| <i>Archembrotus</i> . Princeps regi Franciæ subditus, virtutibus heroicis, summam facientibus spem, ornatus. | <i>Lycogenes</i> . Duces belli civilis. |
| <i>Argenis</i> . Deficiens in Henrico III. Valefiorum stirps, vel etiam alter ab rege locus, eodem tempore à tribus æmulis, Navarreo, Alenssonio, & Guisio, callidè petitus. | <i>Lydiæ conjuges</i> . Ancreus cum uxore, in Gallia. |
| <i>Arsidas</i> . Dux Bullonius. | <i>Meleander</i> . Henricus III. |
| <i>Arx non eversa</i> . Londinensis arx. | <i>Memocritus</i> . Retii Marescallus. |
| <i>Auxilia Meleandro data</i> . Litteræ, quas anno MDLIX. ad Franciscum Galliarum regem Philippus Hispaniarum rex dedit. | <i>Mergania</i> . Germania. |
| <i>Britomandes</i> . Antonius Borbonius Henrici IV. pater. | <i>Nicopompus</i> . Barclaius. |
| <i>Cleobulus</i> . Villaregius. | <i>Oloodemus</i> . Elbovii Dux. |
| <i>Comminderix</i> . Allobrogum Dux. | <i>Peranbyleus</i> . Bethlehem Gabor. |
| <i>Derefcus</i> . Fredericus Comes Palat. | <i>Poliarchus</i> . Persona eorum in quos belli civilis furor desævit: quales Henricus IV. Rex Navarræ, & Esparnonii Dux. |
| <i>Dunalbius</i> . Ubaldinus. | <i>Praxetas</i> . Domus Albigniaci. |
| <i>Eristhenes</i> . Mainius Calignaci Comes. | <i>Procerum primus in aula Hippophilæ</i> . Franciscus Gomezus Sanctivalis, Lermæ Dux. |
| <i>Eurymedes</i> . Bironii Marescallus. | <i>Phryges conjuges</i> . Comes Somersetti cum uxore in Angl. |
| <i>Gelanorus</i> . Turenii Marchio. | <i>Purpurati Sacerdotes</i> . Cardinales Lerma & Cleselius. |
| <i>Gobrias</i> . Harlæus, Sanciaci. | <i>Radirobanes</i> . Hispaniarum Rex. |
| <i>Hiero-Leander</i> . Hieronymus Aleander. | <i>Regio ab adverso litore Sicilia emula</i> . Anglia. |
| <i>Hippophilus</i> . Hispaniarum Rex. | <i>Seleniffa</i> . Regina Mater. |
| | <i>Sicilia</i> . Galliæ Regnum. |
| | <i>Timandra</i> . Jana Albretia Henrici IV. Mater |
| | <i>Timonides</i> . Domus Albigniaci. |
| | <i>Vsinulca</i> . Calvinus. |

JOAN-

JOANNIS BARCLAI
 ARGENTIS.
 LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Archombrotum appalsum in Siciliam, componentemque in arena caput maris erroribus circumactum, subito Matrona confundit sparsa crine miserabilis. Hæc hospitem ad opem præstandam Peliarcho, quem adorti predones fuerant, enixè sollicitat. Sed dum præsto est, stupet quatuor jam profugatis, ceteros in fugam aversos.

DUM Orbis adoraverat Romam, non
 Oceanus decesserat Tybri, cum ad oram
 iæ, quæ² fluvius Gelas maria subit, in-
 gentis speciei juvenem peregrina navis ex-
 posuit. Servi ope nautarum cultum domini militarem ex
 alto comportabant, suspensosque per præcincta ilia equos
 demittebant ad littora. Ille infuetus navigii malis, pro-
 cubuerat in arenam, quærebatque circumactum pelagi
 erroribus caput, sopore componere: cum acutissimus cla-
 mor primùm quiescentis mentem implacidâ imagine

CON-

Nondum orbis adoraverat Ro-
 mam, nondum Oceanus de-
 cesserat Tybri. Antequam
 totus orbis Romano Im-
 perio subiceretur, & Tyberi Oceanus.
 Vel, antequam Oceanus fluvio Tyberi
 fama cessisset: quod evenit postquam
 Roma universum terrarum ambitum
 sæz ditionis fecit. Decesserat enim, id
 est, cesserat.

² Fluvius Gelas.] Urbem ejusdem
 nominis in Sicilia præterfluit, dictus
 est, vel δῆρὸς ἢ γάλας, à pruina, quam
 multam gignit; vel idem est quod γάλας
 id est, risus, quia ripis ejus nihil amœ-
 nius, in quibus cum Nymphis Proserpi-
 na amabat spatari. Inde campi circum-
 jacentes Geloi dicti sunt. Æneid. lib. 3.

— Campique Geloi

Immanisque Gela fluvii cognomine dicta.

A

I Sparsa

Icon animarum

Hungari equorum studiosi, quos optimos habent. Vestes quoque et arma ad delicias pompamque exigunt. Equis malunt quam pedibus proelium inire, avidissimi honorum, timerique cum ambitu quaerunt. Italica ingenia artesque secuti ne quidem ab eorum vitiis creduntur abhorrere, et vindictae facinora peragere dicuntur iisdem artibus parique livore. Ad amicitiam facillimos putes, sed haec verane sit aut tuta, nulli melius aestimabunt quam ii ipsi qui illam inibunt, serio reputantes num amari meruerint an vero illa gens utilitatem captatura simulatione benevolentiae fraudem paret.

Insignis est apud illos magistratus quem Palatinum dicunt. Is nihil ex se decernere, sed obstare regi potest quicquam publicum sancienti. Cui postquam suo suffragio intercessit, infirmum est quod deinde statuitur. Et hunc plurimi colunt tamquam vindicem libertatis oppositumque regibus, ut olim tribunatus Romanis consulibus potestatis modum fecit. Hinc scias magnos gentis animos nimiumque tumentes dura aut soluta imperia pati non posse, nisi (quod in provinciis illic cernas quas Turcae invasere) ad reverentiam dominorum acri metu cogantur et premente spem omnem libertatis.

Illyrici Dalmataeque, quos Istros Slavosque Sclavosque appellamus, ad Hadriatici maris litora incolunt, illinc qua introrsus terram spectant in Pannoniae fines perveniunt. Immanium montium dorso ea regio horret perpetua hieme in cacuminibus rigente; quae in valles demittuntur, mitiora sunt vicisque et arcibus frequentia. Gens alieni iuris est, diversisque dominis iamdiu assueta in eorum plurimum mores ac veluti indolem abit. Pars principibus Austriae subest. Veneti non pauca ad mare obtinent. Reliqua Turcarum imperio accessere. Hinc Germanici habitus atque mores, Italici etiam, ac denique barbari pro dominorum genio dispensati. Paene invia regio est, nisi quod in portibus naves interdum excipit quae a Venetis in Orientem solvunt aut illinc illuc in Adriaticum remeantes. Cetera peregrinos non invitant. Inde lectis militibus fortitudinis et audaciae fama est, in Turcarum praecipue castris, paucique praeter illos Constantinopoli in praetorianas cohortes leguntur.

Hungariae a septentrione Polonia est, inde ad Oceanum procedens Russiaeque contermina. Tot spatiis diffusa regio paene nullibi in montes assurgit, et a planitie factum nomen, quam Scythico verbo **Pole** appellant. Campi in immensum patent, quos nix altissima hieme obruit. Hac discussa segetes crescunt, non in indigenarum tantum usus, sed et mari delatae per multa Baltici litoris spatia sterilibus fundis annisve opem ferunt. Saevae hiemes terram fluminaque advinciunt, quia violentia Aquilonis nullis montibus repercussa liberum ut in pelago caelum rapit. Accedit septentrionis vicinia et ibi emoriens solis vis, praesertim cum recessit ad brumam. Natura subsidium admovit profundissimas silvas, quae et in ignem datae frigus expellant, et in suis praeterea umbris animalia alant quorum pelles fulciendis vestibus pretiosissimae habentur. Hac duplici ope utuntur in hiemem. Alio quoque commodo suis silvis obnoxii, quippe alicubi immensa examina apum fervent. Agrestia illa sunt nec cuiusquam cura aut pastum aut tecta accipiunt. Vacuis quercuum ramis aut truncis inhaerent; ibi cereas domos extruunt et optimo melle implent. Hinc ingens facilisque in regionem proventus. Ceram mercatores devehunt. Ipsi melle conficiunt potum quem in deliciis habent.

**GENTE CALLEDONIVS, GALLVS NATALIBVS HIC EST
ROMAM ROMANO QVI DOCET ORE LOQVI**